

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

35.
40

IOANNI HE=

ROLDI IUVENI ORNA-
tissimo,

&

ELISABETHAE FREVDEMANNÆ
Virgini lectissimæ

de

CONIVGII FOEDERE INITO
gratulantur

AMICI.

Anno CHRISTI.

Blis sex et binos nonVs orDine Mensls
agebat

OrtVs, Vt Iano nVblt ELISA IVO,

Halaæ Saxonum typis Achatij Siepfam.

M D III XV 1572

Exiguos versus quos mittunt mente serena
KENTMANI affines, Consule SPONSE boni
QVO TE FATA TRAHVNT.

SAEPE quid ingenuam fastidis stulte puellam,
Quod dotata minus, nec quoq; pulchra satis?
Coelitus o tibi si monstrat Deus ipse maritam,
Ni pares, nulla parte beatus eris.

Desuper ergo datur si quæ: benedictio dos est.
Aurum, nobilitas, forma, Venusq; nihil.

Eligit ELISABETHA DE VSTE, crede, Iohanni:
Eligit ERNHOLDVM ac ELISABETHA tibi.

Theophilus Med. D.

VOTA IN AMORE VALENT.

NVbere qui cupiat, diuinum NVME Nadore,
Coniugij prosper quo sit vtrinq; torus.
Conueniens ætas, & conspondentia morum,
Parq; genus thalamum NVMINE dante beant.

Diues in inuitum dominatur Sponsa maritum,
Lasciua exhaurit foemina, mactat anus.

Est virtutis amans IOANNES, gratia & illi,
Virtutis veræ est ELISABETHA & amans.

ERNHOLDVS juvenis præstans: & flore iuuentæ
FREVDMANNAE facies conspicienda venit.

Stemmata ab antiquo & celebri virtutis auitæ
Progeniem Sponsus Sponsaq; laude trahunt.

Coelitus apta tibi contingit Sponse roganti
Diligit hæc DOMINVM, digna favore tuo.

Et tibi Sponsa venit supremo NVMINE Sponsus,
Dignus amore DEI, dignus amore tuo.

Vestros

Vestros æternum seruet qui iunxit amores,
Corporis ac animæ commoda multa ferat.

Ioannes F.

DESUPER OMNE BONVM.

Qui tribuit vitam, castos qui iunxit amores,
Ille dabit sobolem, dulce dabitq; merum.
Continueate preces, & continueate labores,
Sic ea contingent omnia dante DEO.

Christophorus F.

IEREMIAE CORNARII F.

ROSA.

Ritu non simili, nec munere semper eodem
Coniugium quosvis condecorasse liquet,
Septem inter primus Sapientes grata puellis
Contribuit, tulerat quæ bona, mala, Cydon.
Nempe iubens illis desponsas vescier ante
Intrent quàm focij molle cubile viri.
Sic thalami quoties Graij nova iura pararunt,
Et Veneri, & Musis vota tulere nouem,
His sine quod, patria acti religione, putarent
Non coniunctorum foedera firma fore.
Hormenij fertis & Sponsas natio Hyantum
Ornauit Cadmo rege superba novas,
Illius ex sente vt iucundus fructus acuto
Iungendæ nuptæ symbola certa daret.
Nec dubium est alios diversis moribus vti,
Ominis & pariter signa referre boni.

A 2

Quisq;

Quisq; suo nostrum dono vel nomine confert
Sponsis exoptans prospera Fata novis.
At bona pro tædis ego verba jugalibus addam,
Quod tribuam Sponsis & ROSA carmen erit.
Pascat avarus opes, exultans turba choreas,
Helluo vina, novo Sponso Elegia placet.
Hinc ROSA, materiem sparsi quæ carminis addet,
Sponse, tori felix SYMBOLON esto tui.

Ludit imaginibus si dia potentia multis,
Doctrinæ & varios monstrat in orbe modos,
Flore ROSAE dubium cur sit fragrante puellas,
Instruere, & cupidos hanc voluisse procos,
Sive hi conjugij quærant dare colla capistro,
Ante aras dederint seu modò jura tori.
Quisquis es hæc mecum scrutare indagine mentis,
Vt puto convenient, quæ do notanda stylo.
Quisquis es, ingenitas & sentis pectore flammæ,
(Nam sumus hac omnes conditione sati)
Disce ROSAE tempus primò, quo pulchrius vllum
Conjugij non est vt tua sacra pares:
Non æstas etenim, nec hyems hirsuta capillos,
Tempora purpurei sed bona Veris eunt,
Has iterum quando ROSA pendula prodit in auras,
Inq; hortis grato flore decora nitet,
Et si desideras debesvè ea vincla subire,
Hæc pro lege tibi dicta jubente puta,
(Vivitenim indignè per quem non vivit & alter,
Exulat & prorsus versibus iste meis)
Tempora ne desint, ne præcurrantq; morantem,
Grandævum efficiat canaq; barba virum.

Non

Non puer in castris, nec rite Senecio curvus
Militat, ætatis sit ratione modus.
Vernanti conjux juveni cûi ducitur vxor,
Huic meritò ex ROSeo flore corona datur,
Et quæcunq; Viro florente puella juventa
Nupserit, auricomis est ea digna ROSIS.
Dêin tibi sit similis, cûi dextram jungere gaudes,
Annis, more, opibus, Relligione, gradu,
Nam rugosa genas, & crines alba fluentes,
Cui dente elapso facta caverna patet,
Et quæcunq; inter turbam est transcripta senilem,
Omnibus illa modis est fugienda tibi.
Elige quam ducas est cum color optimus, ætas
Digna procis, vegeto digna statura Viro.
Dispar amare jugum certè dementia summa est,
Atq; aliqua speciem parte furoris habet.
Quam male conveniunt nux aspera densq; retusus,
Tam male fortis, anus, firma puella, senex.
Id quod & ulterius duplicis sub imagine formæ
Doctrina rebus conveniente notat:
Clausa etenim folijs ROSA nullis vsibus apta est,
Nec juvat inverlo quæ ROSA flore cadit,
Ni causâ fructus quis fortè superflua carpat,
Atq; legat parca semina pauca manu,
Non secus ac vetulam, cûi numis arcula turget,
Ducat, & instabiles quærat, & optet opes,
Vidi, qui in cista costam quæsitit amandam,
Non dominum, servum sed magis esse domi:
Namq; amor is cista rursus, si exhausta, recedit
Vivida nil præter semina litis habens,

A 3

Morte

More graduq; parem quod fas tibi iungere nuptam
Quid, nisi, quæis crescunt te loca terna docent.
Hortenses age prome ROSAS, age profer agrestes,
Et forma, & folijs confer vtranq; suis.
Vel quamvis taceas, scio cûi sis prima daturus
Nomina, quam dignam reris amore tuo.
Civica nonnè placet, forma est quia pulchrior illi,
Moribus & quoniam Gratia maior inest?
Civica nonnè placet, quia blando affabilis ore,
Ad quosvis nntus officiosa fatis?
Rustica nulla placet, namq; huic est vultus agrestis,
Insipidi mores, mens generosa minus.
At dotata tibi fortè arridebit, & inquis,
Rustica sit quamvis, dum modò dives erit.
Audi agè quid sentis? Numos virtute carere,
Virtutem aut æris pondere quod melius?
Ne propriam excedas sortem, ne pauper in amplis
Magnatum domibus, quæ tibi nubat, ames.
Tertia te retrahit ROSA, quæ felicior hortis
Vndiq; conscriptis, vt lolet, vna viget,
Quæ multa cura, multo educata labore
Paucis visa procis summo in honore manet.
Non par nobilibus servum assuetudine iungi,
Duc similem, sient foedera rata magis.
Maxima pars quo sint animo sed forte requires,
Vxorem pudeat ne tetigisse semel.
Ista, caret pulchris non hæc aspectio rebus,
Ex triplici lector nosce colore ROSAE.
Namq; ea vel prorsus rubra est, vel candida prorsus,
Albavè sanguineis pendet amicta notis.

Ignea

Igneæ torva nimis suffundens ore ruborem
Perturbat rixis irrequieta lares,
Quæ pallet nimium contristat nupta maritum,
Et curis angit, sollicitatq; metu.
Gaudia sed bino promittit mixta colore,
Et cum lætificis oscula mixta jocis:
Non minor ast famæ quàm mentis sedula nuptæ,
Et morum ratio lector habenda tibi.
Arrodunt infecta ROSAS persæpe virentes,
Vermiculis multæ tenuibus atq; scatent.
Sic multam juveni vernantia tempora laudant,
Perplacet eximio multa colore sibi.
Hæc cristas tollit, celebri quod sanguine creta,
Hæc se divitias iactat habere graves,
Atq; inopes contra ventoso despicit omnes
Fastu, quos fors malefida premit.
Sed bene vix audit, cum sit morosa, superba,
Cum lasciva, falax, imperiosa, lupa.
Sæpe etiam profert fucato pectore verba,
Aspidis atq; intus tecta venena gerit.
Sed mihi non animus qualvis culpæ probandas,
Sint odio pravæ, sint in honore bonæ:
Invenias etenim quæis cuncta hæc commoda præ-

(sto

Fortunæ, videas quas simul esse probas.
Tu reprobas fugito, tu famam consule primò,
Ne sit quæ mentem postea cura premat:
Carpe ROSAM grati quam vis commendat odoris,
Quæq; ROSAE verum nomen & omen habet.

Duc

Duc sociam cuius populo sat cognita Virtus,
Quæ pia, pulchra, tacens, casta, modesta, proba.
Isti etenim debent esse huius floris odores,
Coniugis vt recreet pectora mœsta sui.
Hinc tibi fortunæ melioris copia maior,
Atq; omni semper parte beatus eris:
Nam ROSA quæ pulchra est, & amico præstat odo-
Viribus in Medica sat valet arte suis. (re,
Obscænæ vultus formæ ROSA tosta medetur,
Nupta libidinibus sic medicina tuis.
Cum iecur accensis ardoribus æstuat intus
Solamen ROSei stilla liquoris erit,
Curis immensis, irarum aut carperis æstu,
Vxor sic statim dulce levamen erit.
Sed non hic eius virtutum pono volumen,
Excurret justos ne mea Vena modos:
Pars etenim poterit non commemorarier vlla,
Cui Vires nullæ, commoda nulla sient,
Comparis vt nidi nullo censerier ore
Virtutes, morum & commoda cuncta queunt.
At puto cuncta tenes ROSA quæ pulcherrima no-
Te verbis monuit: cætera cautus agas: (stris
Nam ratio superest, qua nanciscenda sit vxor,
Eventum videant ut tua coepta bonum.
Nulla tenues venit vnquam dilapsa per auras,
Nec si casta satis te prior vlla rogat.
Sed veluti multos deterrent spicula multa,
Ad florem faciles impediuntq; vias:
Plurima sic obstant, & spinea multa retardant,
Quæ faciunt longam sæpe subire moram.
Plurima

Plurima vt inde trahas, retrahas suspiria corde,
Atq; tuus fiat prorsus amaror amor.
Aude aliquid, spinas & pectore deme virili,
Aude, continget quam petis ipse, tibi.
Quisquis terretur spinæ formidine acutæ
Purpuream proprio non metit vngue ROSam.
Vescitur haud vnquam mellis redolente liquore,
Quisquis apum timidus spicula cæca timet.
Haud etiam quam forsan amat sit compos amata,
Qui trepido fingit somnia vana sibi.
Aude aliquid, tacet illa quidem, sed prima rogari
Expedit, audaces adiuvat ipsa Venus.
Sit tibi cura prior thalami qui foedera sanxit,
Et seruat, Iovæ Vota precesq; dare,
Sit minor haud illa, consensum habuisse parentum,
Sic puto quæ fuerant spicula demta fore:
(Quisquis amat natam, matrem roget ille decenter
Sermone in trito mobile vulgus ait)
Sic tibi continget potiundæ plena maritæ
Copia, sic Sponsæ copia plena Viri.
Conciliatores sic missi sentibus omnis
Sublatis remoræ nuncia læta ferent,
Munera summa aljs, tucato & pectore verba,
Et Vetulæ spinas demere sæpe solent.
O volucris prorsus res inconstantior Euro,
Quando coit quavis arte coactus amor.
O daræ spinæ quot vobis esse repulsos
Acceptum iuvenes, turba miscella, ferunt.
Terra eius spinis obducatur & ipsa sepulchrum,
Quæ spinas fingit, spina vbi nulla, sibi.
Hinc ROSA tam parvo monstret cum maxima flo-
Cur hac non meritò sit bona digna Venus, (i.e.,
Est

B

Est

Est Rosa flos Veneris, Venus est sed mater amoris;
Sic ergo totus sit ROSA noster amor.
Sed te felicem Sponsum multumq; beatum,
Cui voto ex animi nunc ROSA pulchra datur,
Tu mihi non alia quoniam ratione videris,
Rem fecisse omnem quam ROSA pulchra docet:
Eia age pace tua ROSA nunc te parva monebit
Officij, Sponsam muneris atq; iui. (tam,
Inspice Sponsæ ROSAM, similem cognosce mari-
Ut ROSA blanda viget, sic tua SPONSA viget,
Sim licet haud etenim spectator commodus omnis
Formæ, vel quovis iudice dico tamen,
Tantum inter reliquas Sponsam & discrimen inesse
A blanda differt quantum Anemona ROSA,
Ut ROSA præ reliquis ergo tibi floribus vna
Perplacet, hæc placeat Sponsa sic vna tibi.
Alterius nunquam stulto capiaris amore,
Sit ROSA chara domi, sit ROSA chara foris;
Et nemo ut graciles spernit temerarius artus,
Nec sinit exiguo grata perire malo,
Semper sic sociam defendas fortis amatam,
Et famæ illius sit tua cura decus.
Imperio jubeas sed Vir quoq; iusta decenti,
Et quacunq; potes parte iuvire juves.
Esto tuæ fortis memor, & non fide secundis
Rebus, sic prudens omnia semper ages:
Nam Fortuna ferox Si forsitan Maxima Splendet
Frangitur, hæc proprium Symbolon ipsa monet.
Ne desperatis aut rebus inanibus omnem
Mentem addas, lapsam nec quoq; quære RO-
Parta tuere bonus tu partaq; sedulus auge (SAM.
Et cuncta augendæ stet tua cura rei.

In

In sudore (etenim sic vult sententia) vultus
Quærat ad extremum vir sua quæq; rogam,
Sed tamen iniusti tua mens fit nescia quæritus,
Haud fraude exposcas pauperioris opes,
In cunctis etiam nimium non anxius esse,
Venturam debes aut metuisse famem,
Nam qui condecorat flores, & lilia campi
Vestit, cur homines curet is ipse minus
Ista ROSAE te materies & forma decora
Omne felici, Sponse, monere queunt.
Inspice Sponse ROSAM præsentem nosce mari-
Virginei floris qui sibi jura petit, (tum,
Es ROSA, namq; alia cur te nunc voce vocarem,
Squilla nec ingenuam te generavit iners.
Es ROSA namq; æquant niveo labra mixta rubori
Lacte ROSAS, ROSeis es decorata comis.
Es ROSA, nam reliquas omnes pulcherrimavincis,
Omnigenis ROSA ceu floribus vna prior.
Sis ROSA, sicq; tuæ sortis non immemor esse,
Et poteris justè munus obire tuum.
Cerne ROSAM fragilem, fragiles tibi corporis ar-
Esse puta, auxilium sedula posce viri. (tus
Displiceatq; tuo ventosa superbia cordi,
Disce maritali subdere colla jugo.
Omnibus in folijs prostat tibi Cordis imago
Copula quæ iungit finibus vna suis.
Sit castos etiam par est fit vt inter amantes,
Corpora sunt quamvis, mens tamen, vna, duo.
Cor des Sponsa tuum totum, sit firmus & ignis,
Sic Sponsi fiet non simulatus amor.
Imbribus effusis ROSA sæpe rigata madescit,
Exposita & ventis cogitur esse ROSA.

Sic quæcunq; etiam patiens incommoda pe rfer,
 Absq; dolore tori non status esse potest,
 Sis frugiq; operisq; intenta, domestica curans,
 Et bene si quæ sunt dissimulanda feras. (fat,
 Hinc etenim Harpocrates, qui labrum pollice pres-
 Hanc dono Veneris fertur habere ROSAM.
 Sis ROSA, coniugium ROSA ceu pulcherrima ve-
 Exornes, blandis digna marita ROSIS. (strum,
 Non lapides cerebrum minuentes dura loquaris,
 Sed ROSeo gratas profer ab ore ROSas.
 Sis ROSA, jucunda recrees virtute maritum,
 Atq; ROSæ mores convenienter eant.
 Hac ambo vitam quando ratione studetis
 Vivere, non bonitas diâ negabit opem.
 Robora Chrifte feras, sine te namq; irritus omnis
 Noster amor, quælo robora Chrifte feras.
 Confule Sponse meos properato tempore scriptos
 Versus, eximie nil quibus artis inest.
 In diuersa etenim distracta mente, repente
 Scribere cum nequeam seria, scribo jocos.
 Et, si materies hæc paucis nostra placebit
 Sat mihi, si tantum, quæ cano, grata mihi.

CONIUGII MYSTERIVM.

A Tribuant alijs alij Virtutibus amplas
 Laudes, & primi nomina prima loci.
 Sit sua Iustitiæ qua semper, gloria, digna est,
 Quæ cunctis tribuit debita lance pari.
 Sit sua Virtuti laus dictæ à pondere Veri,
 Ad cuius mendax nomina pallet iners.

Gratia

Gratia grata suo semper celebretur honore,
Qua sine nil cuiquam salis inesse potest.
Ast inter reliquas mihi sit Dilectio prima,
Ista ferat primi nomina prima loci.
Totius namq; est Divinae impletio legis,
In sacris scriptis Paulus ut ipse docet.
Legis, cunctipotens quam cello in monte Sinai,
Electo populo tradidit ipse suo.
Qui caret hac igitur Dominum nec ritè timere,
Et prodesse potest iste nec vlli homini,
Omnibus orbis erit reliquis Virtutibus orbis,
Hanc vbi præcipuam tollis ab orbe semel.
Hac absq; in Dominos, merita & gravitate veren-
Quis bonus & gratus, quis pius esse potest. (dos,
Qui necens animos Concordia firma fovet,
Hac sine qui poterunt iura sacrata coli.
Hac sine qui Verum, qui sancta Modestia, Candor,
Qui mandata Dei cuncta placere queunt.
Idolum nunquam Salomon coluisset iniquum,
Si modo flagrasset totus amore Dei.
Vtrum sit proprium complexus amore parentem,
Absolon, haud paucis facta scelesti probant.
Quæritur & David quare sit factus adulter?
Vriam, causa est, oderat ipse bonum.
Non furti crimen reprobo placuisset Achani,
Erga homines verus si placuisset amor.
Huius virtutis vel micam habuisse Simeis,
Quis putet, illudit dum malus ore bonos?
Hæc vbi sed Virtus fixis radicibus hæret,
Nil valet ambitio, livor & ira gravis.
Hanc igitur matrem Virtutum quis negat esse,
Quis negat atq; illas hac genetrice latas?

B 3

Talibus

Talibus o natis meritò dignissima mater,
O natas dignas hac quoq; matre satis.
Et matrem & natas hunc vero amplectier æstu,
Est certum, mater cui generosa placet.
Quis neget hanc etiam mortales, copula tanquam
Firma, omnes nexu consociare suo.
Deme hanc Virtutem facies quæ mira futura,
Præsentis vitæ, qualis imago foret?
Quin & concideret totius machina mundi,
A quæisdam sedulo ni tueretur ea.
Hanc ideo toties dio sermone Redemptor
Virtutem servos iussit amare suos.
Sic volo sic iubeo, dicens, hæc certa voluntas,
Inter vos omnes, fervidus ut sit amor.
Hanc omnes quoq; bis seni, pia turba, ministri
Laudibus ore vno concelebrare suis.
Præcipue inter eos Tarfensis Apostolus inquit,
Salvificans homines hac sine nulla fides.
Quæ possessores veros comitabitur hæc est
Ad summi patris Coelica regna Dei.
Nam perfectus ibi tandem complebitur ardor,
Finis in æternum cui quoq; nullus erit.
Huius at apparet mediocris amoris imago,
Coniugio iunctis qualis inesse solet.
Nam licet hic alios omnes convincit amores,
Nil nisi quàm volucer, nil nisi mancus amor.
Flammarum nobis sed vis perfecta notatur,
In nos quæis flagrat Filius ipse Dei.
Cognoscit sponsum quem solum Ecclesia sponsa,
Dum sancto è lateris nata cruore fuit.
Cum Deus hic etenim cum patre & flamine sacro
Esset, pro nobis esse puer voluit,

De

De nostris fragiles assumens corporis artus,
Tempore perpetuo quos retinere cupit.
Et veluti stabili quos Fatum iunxit amore,
Nil nisi terribilis mors separare potest.
Copula sic eius personæ fixa manebit,
Hanc mors aut aliud non soluisse potest.
Postea pro nobis lethalia vulnera passus,
Crudelem patiens in cruce mortem obijt.
Victor & abolita redivivus morte resurgens,
Reddidit in lapsu quæ bona spreta prius.
Dèinceps conscendit coelestia in atria patris,
In luce extrema ut qui rediturus erit.
Hoc foedus mirum est, hic mirus nexus amoris,
Paulus Mysterium quod sacer ipse vocat:
Non enim poterit rimari indagine mentis
Humanæ, per se sed manet usq; sacrum.
Ast Sponsæ Christi ne quicquam forte deesset,
Coepus cessaret fervere nec quid amor.
Divinum voluit de coelis mittere flamen.
Iussit & in mundo verba sonare sua,
Neve fides caderet pastum potumq; salubrem
Curavit semper suppeditare pijs,
Languenti ut menti hoc epulum coeleste pararet,
Et nectar veniæ quam sitis ipsa premit.
Ut sibi sic Sponsam non vlla labe notatam
Sisteret, atq; ipsi coelica regna daret.
Quis porro ignorat quantum tueatur & ornet,
Quamq; regat fido pectore pastor oves.
Omnia quæ patrium nobis testantur amorem,
Atq; animis semper sunt memoranda pijs,
In primis tu Sponse potes cognoscere amorem
Christi, qui Sponsam diligis ipse tuam.

Tu

Tu fido, vt par est, si Sponsam amplecteris æstu,
Hunc Sponsum quanto te redamare putas?
Tu namq; es coetus Christi quoq; portio parua,
Quam fers nobiscum Religione tua.
Non dubites igitur qui gaudet nomine sponsi,
Præsentem tædis hunc quoq; adesse tuis.
Namq; artus odio proprios quis spreuit iniquo,
Sunt simili semper membra caputq; loco.
Sed pia vota feram, quo Sponsis tester amorem,
Atq; precer thalamis coepta secunda novis.
Christe homo, Christe Deus Sponse optime, maxi-
Numine confirma toedera casta tuo. (me Sponse,
Da sit amor constans, vt te quoq; firmiter ambo
A Eternum possint rursus amare Deum.
Arce Asmodæum, fert hic incommoda Sponsis,
Da pacem & sobolem, pelle pericla procul.
Sisq; tuo præsto auxilio, te dante benignè,
Vertitur in liquidum fluminis vnda merum.
Sicq; tua vitam hanc sub cura, Christe, quietam
Atq; illic vivent Iudicis ante thronum.

Christophorus Herold.



W 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 /

W 17

M





IOANNI HE=
ROLDO IUVENI ORNA-
tissimo,
&
ELISABETHAE FREVDEMANNÆ
Virgini lectissimæ
de
CONIVGII FOEDERE INITO
gratulantur
AMICI.
Anno CHRISTI.
Bl̄s seX et bl̄nos nonVs orDine Mensls
agebat
Or̄Vs, Vt Iano nVblt ELIsa sVo,
Halæ Saxonum typis Achatij Siepfar.

MDIII XV